

## Observationes

in

Ciceronis de officiis librorum locos quosdam difficiliore.

I, 5, 17. „Reliquis autem tribus virtutibus necessitates propositae sunt ad eas res parandas tuendasque, quibus actio vitae continetur, ut et societas hominum coniunctioque servetur et animi excellentia magnitudoque quum in augendis opibus utilitatibusque et sibi et suis comparandis, tum multo magis in his ipsis despiciendis eluceat. Ordo *autem* et constantia et moderatio et ea, quae sunt his similia, versantur in eo genere, ad quod est adhibenda actio quaedam, non solum mentis agitatio. Jis enim rebus, quae tractantur in vita, modum quendam et ordinem adhibentes honestatem et decus conservabimus.“

Huius loci et vim verborum et sententias interpretes minus bene explicarunt. Sunt qui Ciceronem etiam magnae cuiusdam negligentiae incusent, quae si vera esset, nulla posset ratione excusari. Dicunt enim quae Cicero tribus illis virtutibus tribuerit, ad duas summum pertinere, et quae de tertia exposuerit separatim, omnibus esse communia. Hac praeiudicata ducti opinione etiam pro Ordo *autem*, quod codices praebent, Ordo *item* scribendum esse putabant. — Operae pretium esse duco, rem denuo examinare, ut, si fieri possit, scriptor clarissimus illo crimine liberetur. Primum igitur videamus, quae verbis subiectae sint significationes, sententiae tum facile perspicientur.

„Necessitates (= actiones necessariae. Maturant., Degen.) propositae sunt ad“ vel „ut“ est quod nos fere dicimus: haben die Aufgabe zu sorgen, dass ... — „Parandas tuendasque“ non est „parandas *et* quae paratae sint tuendas,“ ut Ald. Manutius vult, sed „parandas tuendas*ve*.“ cf. I, 43, 153: „prudentiam enim, quam Graeci *φρόνησιν* dicunt, aliam quandam intelligimus, quae est rerum expetendarum fugiendarumque scientia.“ De hoc particulae *que* usu videas quae Kritzius ad Sall.

b. C. IV, 2 dicit: „Ne quis tamen, qui huic particulae modo explicativam, modo adversativam, modo collectivam, modo continuativam vim tribui videat, hoc perperam ipsi particulae tribuat, statim hoc loco nobis monendum est, illas significationes huic voculae non natura inesse, quod sane mirum foret, sed loquendi usu factum esse, ut nonnullae sententiae explicativae, adversativae aliae, non particulis ipsis convenientibus, sed simplici copula praegressae sententiae annecterentur. Per se igitur patet, ubique propriam copulae vim remanere, tales autem sententias, a quibus copulae ratio plane aliena est, non posse non particulis propria vi positae coniungi.“<sup>1)</sup> Quae res parandae sint et quae tuendae, verbis „ut societas hominum etc.“ declaratur, quae et ipsa ex „necessitates propositae sunt“ pendent. Adiecit haec scriptor, ut quod generatim iam dixerat, singillatim persequeretur. Parandae igitur sunt vel augendae opes utilitatesque, id quod proprium est fortitudinis munus et temperantiae; tuendae sive servandae societas hominum coniunctioque, quod iustitiae proprium eiusdemque temperantiae, et hunc finem consequitur temperantia despiciendis opibus utilitatibusque. Hinc iam elucet, quanto opere inter se colligatae sint hae virtutes et implicatae et hanc causam esse, cur Cicero non singulis virtutibus singula munera attribuerit, ut supra exempli causa prudentiae, sed de omnibus hic generatim dixerit. Conferas etiam huius loci ultimam sententiam. Vides iam, quanto opere errent, qui Ciceronem hic erroris velint arguere. — „Actio vitae“ infra explicatur opposita mentis agitatione et ultimae huius loci sententiae verbis: „iis rebus quae tractantur in vita“: idem est, quod 3, 7 „usus vitae“, praktisches Leben; agitur enim de illis virtutibus, quas Panaetius secundum Aristotelem (Diog. Laert. VII, 92) practicas nominat<sup>2)</sup> cf. orat. part. XXII, 76: „Est igitur vis virtutis duplex; aut enim scientia cernitur virtus aut actione.“ — „Societas hominum“ est 4, 12 *orationis et vitae societas*; „coniunctio“ est id, quod Cicero ibidem indicat verbis: „ingenerat in primis praecipuum quandam amorem in eos, qui procreati sunt etc.“ — De opibus videas quae Seyffertius Lael. VI, 22. pag. 137 s. dicit: Opes (überhaupt Mittel um zu helfen) sind dem römischen Staatsmann nicht bloß materielle (divitiae) sondern auch geistige Mittel, um mit beiden Andern nützlich zu werden und sie dadurch sich verbindlich zu machen und politischen Einfluss zu gewinnen.

<sup>1)</sup> cf. eund. l. l. VIII, 1; XIV, 4; Seyff. Lael. XX, 71. pag. 432 s. —

<sup>2)</sup> vid. Heine Einl. zu Cic. de off. pag. 20.

Haec igitur est horum verborum sententia: Die übrigen drei Tugenden haben die Aufgabe zu sorgen für Herbeischaffung oder Wahrung der Dinge, worauf das practische Leben beruht, dass sowohl das Band der menschlichen Gesellschaft, der Familie u. s. w.<sup>1)</sup> erhalten werde, als auch die Hoch- und Grossherzigkeit des Geistes wenn schon in der Mehrung der Mittel und der Beschaffung von Vortheilen für sich sowohl als die Angehörigen, dann weit mehr noch in der Geringachtung dieser Dinge hervorleuchte.

Ita temperantiam Cicero verbis: „tum multo magis in his ipsis despiciendis“ leviter tantum attingere videtur et excellentiae magnitudinisque animi significat speciem quandam esse. Cur doctissimus vir hanc virtutem non distincte nominaverit, ex iis quae supra dixi facile iam intelligitur. Quod tamen excellentiae magnitudinisque animi eam speciem esse significat, non est mirum, si animadvertas, inter fortitudinem et temperantiam magnam intercedere necessitudinem, quum utraque in quodam animi robore consistat, altera ad sustinendum<sup>2)</sup>, altera ad abstinendum<sup>3)</sup>, ita ut hae duae virtutes etiam una notione latioris sententiae perbene possint comprehendi. cf. orat. part. I. 1.: „Temperantia autem in suas itidem res et in communes distributa est duobusque modis in rebus commodis discernitur, *et ea, quae absunt, non expetendo et ab iis, quae in potestate sunt, abstinendo*. In rebus autem incommodis est itidem duplex; nam *quae venientibus malis obstat, fortitudo, quae quod iam adest, tolerat et perfert, patientia nominatur*. Quae autem haec uno genere complectitur, *magnitudo animi dicitur*; cuius est liberalitas in usu pecuniae simulque altitudo animi in capiendis incommodis et maxime iniuriis; et omne, quod est eius generis, grave, sedatum, non turbulentum“<sup>4)</sup>. Ut igitur Cicero 5, 14

1) cf. cap. 17.

2) „*Fortitudo* est considerata periculorum susceptio et laborum perpressio. Eius partes, magnificentia, fidentia, patientia, perseverantia.“ de inv. II, 54, 163.

3) „*Temperantia* est rationis in libidinem atque in alios non rectos impetus animi firma et moderata dominatio. Eius partes, continentia, clementia, modestia.“ ibid.

4) cf. de off. II, 10, 37: „Nam et voluptates, blandissimae dominae, maioris partis animos a virtute detorquent, et, dolorum quum admoventur faeces, praeter modum plerique exterruntur: vita, mors, divitiae, paupertas omnes homines vehementissime permovent. *Quae qui in utramque partem excelso animo magnoque despiciunt*, quum aliqua iis ampla et honesta res obiecta totos ad se convertit et rapit: tum quis non admiretur splendorem pulchritudinemque virtutis? Ergo et haec animi despicientia. . . . .“



fortitudinem, „ excelsi animi *et invicti* magnitudinem *et robur*“ appellavit, ita hic excellentiae notione magnitudinisque animi fortitudinem et temperantiam complectitur. Logicis ergo rationibus hanc suam expositionem consentaneam esse Cicero iure poterat contendere.

Ex iis, quae dixi, iam patet, quid de eorum coniectura iudicandum sit, qui in iis, quae sequuntur, pro „autem“ *item* scribere volunt. Non enim *novum aliquid* additur et maius, ut Lundius censet,<sup>1)</sup> sed explanatio tantum eorum, quae Cicero de temperantia obscure magis indicaverat. Quae quidem explanatio eo magis necessaria esse videbatur, quia fieri poterat, ut non statim intelligeretur, quatenam ratio intercederet inter illam, quae primo quasi aspectu ut mere in abstinendo consistens negativa magis esse videretur, virtutem et actionem vitae. Neque tamen cum Facciolatio pro „autem“ *enim* scribendum est. Habet enim *autem* iam explicandi vim.<sup>2)</sup> Contextui quem exposui verborum particula *etiam* magis consentanea est, quia Cicero quod tribus illis virtutibus commune esse dixerat, in actione vitae illas versari, hic de temperantia nominatim voluit exponere. Iam Lundius suadente Madvigio *etiam* scripsit, diversa ille quidem ductus ratione, quia verborum sententiam et contextum non recte intellexerat. „In codicibus, inquit vir doctissimus, perpetua est confusio horum vocabulorum: autem — etiam — etenim — enim.“

„Ordo“ et „modus“ hic subiectivae significationis sunt.<sup>3)</sup> vid. I, 40, 142: „Haec autem [ordo rerum et opportunitas temporum] scientia continentur ea, quam Graeci *ἐνταξίαν* nominant, non hanc, quam interpretamur ‚modestiam,‘ quo in verbo ‚modus‘ inest, sed illa est *ἐνταξίς*, in qua intelligitur ordinis conservatio. Itaque, ut eandem nos, ‚modestiam‘ appellemus, sic definitur a Stoicis, ut modestia sit scientia rerum earum, quae agentur aut dicentur, loco suo collocandarum. Ita videtur eadem vis ordinis et collocationis fore. Nam et ordinem sic definiunt, compositionem rerum aptis et accommodatis locis: locum autem actionis opportunitatem temporis esse dicunt. Tempus autem actionis opportunum Graece *ἐνκαιρία*, Latine appellatur occasio. Sic fit, ut modestia haec, quam ita interpretamur, ut dixi, scientia sit opportunitatis idoneorum ad agendum temporum.“ — „Constantiam“

<sup>1)</sup> De emend. Cic. libr. de off. pag. 26.

<sup>2)</sup> Vid. Klotz. lex. i. v. 2) α.

<sup>3)</sup> Cf. Naegelsb. Stil. § 17.

Seyffertius l. l. V, 19 pag. 109 dicit esse „das von einem vernünftigen Principe getragene feste Gepräge des Wollens und Handelns.“<sup>1)</sup> — Cur Cicero pro simplici temperantiae notione compluribus vocabulis utatur, facile est ad intelligendum, si animadvertas, Latinam temperantiae notionem ad eam, qua philosophi Graeci utuntur, σωφροσύνης notionem exprimendam non satis aptam esse. cf. de fin. III, 4, 15: „equidem soleo etiam, quod uno Graeci, si aliter non possum, idem pluribus verbis exponere.“

Horum igitur verborum sententia haec est: Auch die Rücksichtnahme auf Zeit und Ort und das von einem vernünftigen Princip getragene feste Gepräge des Wollens und Handelns und die Mässigung u. dgl. haben es mit den Dingen zu thun, die eine gewisse äussere<sup>2)</sup> Thätigkeit erfordern, nicht bloss eine innere Thätigkeit des Geistes. Werden wir doch nur, wenn wir an die practischen Verhältnisse des Lebens mit einer gewissen Masshaltung und Rücksichtnahme auf Zeit und Ort herantreten, Sittlichkeit und Wohlanständigkeit dauernd beobachten.

I. 24, 83. „Qua re in tranquillo tempestatem adversam optare dementis est, subvenire autem tempestati quavis ratione sapientis, eoque magis, si plus adipiscare re explicata boni quam addubitata mali.“

Hoc loco primum quaerendum est quid *subvenire* significet. Beierus explicat: „Quemadmodum sapientis est, fortuitos casus *magno animo sustinere*, ita dementis est, ipsum sibi malam facere Fortunam.“ Sed id si dicere voluisset Cicero, *subeundi* notione usus esset, ut p. Mur. II, 4: „Quod si e portu solventibus ii, qui iam in portum ex alto invehuntur, praedicere summo studio solent et tempestatum rationes et praedonum et locorum, quod natura fert ut eis faveamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti sumus, ingrediantur, quo tandem me esse animo oportet, prope iam ex magna iactatione terram videntem, in hunc, cui video maximas rei publicae *tempestates esse subeundas*.“ — in Cat. II, 7, 15: „Est mihi tanti Quirites, huius invidiae falsae atque iniquae *tempestatem subire*.“ — p. Mil. II, 5: „Equidem ceteras *tempestates et procellas* in illis dumtaxat fluctibus contionum semper putavi Miloni *esse subeundas*.“ — in Cat. IV, 1, 2: „quaecumque mihi uni proponetur fortuna, *subeatur*.“ — ibid. 6, 12: „sin remissiores

<sup>1)</sup> Cf. eund. l. l. XVII, 62. pag. 389.

<sup>2)</sup> Krebs Antib. i. v.

esse voluerimus, summae nobis crudelitatis in patriae civiumque pernicie fama *subeunda est.* — Contrariam sententiam exhibet p. Sest. XXXIV, 73: „dixit . . . : magna rerum permutatione impendente declinasse me paulum et spe reliquae tranquillitatis praesentes *fluctus tempestatemque fugisse.*“

Zumptius, quem Heinius sequitur, *subvenire* interpretatus est *levare* v. c. morbum, gravedinem, pectoris dolores. At tempestas levari non potest. Ungerus dicit: „subvenire tempestati ist eine freiere Construction statt subvenire navi in tempestate.“ At haec interpretatio eodem quo illa vitio laborat; in omnibus enim sententiis, in quibus illa constructionis mutatio potest adhiberi, malum, cui subveniendum est, eiusmodi est, ut possit levari. — Quo modo interpretandum sit, praemissum vocabulum „adversam,“ quod tempestas sua sponte non requirit, demonstrare videtur. *Tempestati subvenire* idem fere est, quod nostri nautae dicunt *laviren*,<sup>1)</sup> si *χρῶμενοι τῆ τέχνη* (Plut. Pericl. 33.) navem huc illuc vertentes omnibus viribus nituntur non solum ut prohibeant, quo minus de via depellantur, sed etiam ut semper aliquid *tempestati subvehantur.* cf. de re publ. I, 4, 7: „Is enim fueram, cui quum liceret aut maiores ex otio fructus capere quam ceteris propter variam suavitatem studiorum, in quibus a pueritia vixeram, aut si quid accideret acerbius universis, non praecipuam, sed parem cum ceteris fortunae condicionem subire, non dubitaverim me *gravissimis tempestatibus ac paene fulminibus ipsis obviam ferre* conservandorum civium causa meisque propriis periculis parere commune reliquis otium.“ — Contrariam notionem legimus d. domo sua XXVI, 68: „Haec vidit in sententia dicenda Kalendis Januariis vir prudentissimus et quum rei publicae, tum mihi, tum etiam veritati amicissimus, L. Cotta, qui legem de meo reditu ferendam non censuit: qui me consuluisse rei publicae, *cessisse tempestati.* . . . . dixit.“ — Ut igitur ea, quam Cicero ex consuetudine medicorum deprompsit, similitudo praecedentibus verbis: „reperias multos, quibus etc.“ respondet, sic ea, de qua hic agitur, respondet verbis: „Nunquam omnino periculi fuga committendum est, ut imbelles timidique videamur, sed fugiendum illud etiam, ne offeramus nos periculis sine causa, qua esse nihil potest stultius.“ cf. p. Sest. XLVII, 101: „Propugnatores autem rei publicae qui esse voluerunt, si leviores sunt, deseiscunt;

<sup>1)</sup> vid. Chr. Wenig Hdwörterb. d. deutsch. Spr.: *Laviren*, in der Seefahrt, bei widrigem Winde bald nach der einen bald nach der andern Seite zu segeln, ohne den bestimmten Weg zu verlieren.



si timidiore, desunt: permanent illi soli atque omnia rei publicae causa perferunt, qui sunt tales, qualis pater tuus, M. Scaure, fuit, qui a C. Graccho usque ad Q. Varium *seditionis omnibus restitit*, quem numquam ulla vis, ullae minae, ulla invidia labefecit; . . . qualis nuper Q. Catulus fuit, quem neque *periculi tempestas*, neque honoris aura potuit umquam *de suo cursu* aut spe aut metu *demovere*."

Altera huius loci interpretandi difficultas in verbis: „eoque magis etc.“ inest. Quaeritur enim, quid sit *res addubitata*. Graevius praeunte scholiasta Gu.: „addubitata, inquit, est propter spem incerti exitus ommissa.“ Eadem Pearcii, Ernestii, Degenii sententia est. At quum sapientis sit utique tempestati subvenire, qui potest sapiens esse is, qui propter spem incerti exitus hoc omiserit? et si non omiserit, qui fieri potest, ut sapiens dicatur, quum ob exiguum, quod sibi, si omiserit, possit malum contingere, in manifestum periculum et summum discrimen se praecipitet, etiam si vel maximum propositum sit praemium? — Garvius, cuius sententiam Beierus et Heinius sequuti sunt, verba: „si plus adipiscare etc.“ interpretatus est sic: wenn die Vortheile, die man bei einem glücklichen Ausgang zu erwarten hat, viel grösser sind, als die Uebel, denen man sich während der Zeit des Kampfes aussetzt. Sed hoc non est interpretari, sed scriptoris verba ad suam sententiam torquere. — Melius Aldus Manutius: „addubitata est, inquit, in discrimen adducta, quae ex animi sententia non evenit.“ Eadem fere sententia est Faciolatii et Jac. Fr. Heusingeri. Similiter Hottingerus et Zumptius *addubitata* interpretantur *infeliciter gesta*. Sed ne has quidem sententias plene Ciceronis verbis puto convenire.

Magnam difficultatis partem cedere puto, si cogitemus, Ciceronem hic similitudinem de tempestate depromptam iam reliquisse et ad rem quasi rediisse. *Rem explicare* est facere, ut res antea obscura liqueat, deinde: *rem difficilem conficere*, quod nos fere dicimus: eine Sache in Ordnung bringen. Rei explicatae opposita est *res addubitata* i. e. res paulum dubia, res, quae nondum plane liquet, deinde: res, quae non plene confecta est. De hac huius vocabuli significatione cf. Bremium ad Nep. Con. V, 4: „dubitare und addubitare bedeuten oft nicht zweifeln, sondern eine Sache völlig unentschieden lassen.“ Vellem equidem, adverbium *völlig* ad *ad-* dubitandi verbum omisisset vir doctissimus, quum addubitare minus valeat quam dubitare.<sup>1)</sup> Participium Cicero adhibuit propter antithesin concinnitatis causa. Cete-

<sup>1)</sup> Cf. Heinium ad off. III, 4, 18 et Forcell. lex. i. v.

rum de tali participii perf. pass. usu cf. § 82: „rebus agitatis“ et Heinium a. l.; Berger. Stil. § 49 not. 2.

Haec igitur Ciceronis sententia est: Deshalb ist es Unsinn auf ruhigem Meer einen widrigen Sturm zu wünschen, aber gegen den Sturm auf alle und jede<sup>1)</sup> Art ankämpfen ist weise, zumal wenn man, falls die Sache in Ordnung kommt, mehr zu gewinnen hat, als zu verlieren, wenn sie nicht ganz in Ordnung käme (wenn der Erfolg in etwa zweifelhaft bliebe.)

I, 26, 92. „Haec praescripta servantem licet magnifice, graviter animoseque vivere atque etiam simpliciter, fideliter, vere *hominum amice*.“

Haec sententia omnium quae Cicero a cap. 18, 61 tradidit praeceptorum recapitulatio est. Sed manifestum est, ultima huius recapitulationis verba corrupta esse et ne grammaticis quidem praeceptis convenire. Recte dicit Heinius: unmöglich kann amice mit dem Genetiv verbunden werden, dessen Adjectivum nur erst durch eine Uebertragung vom Substantivum her diesen Casus bei sich hat: finden sich doch kaum Adverbia wie cupide und appetenter mit dem Genetiv. Die schlechteren Hdss. haben *vitae h. am.*, eine unglückliche Conjectur, die keinen verständigen Sinn giebt und sich auch nicht durch Stellen wie II, 3, 9 nulla perniciēs maior hominum vitae potuit afferri vertheidigen lässt.“ — Meliorem lectionem praebet Bern. c, de cuius codicis auctoritate et praestantia videas Lund. de emend. Cic. de off. libr. pag. 3 s.; Halm. Zur Hdssk. d. Ciceron. Schr. pag. 9; de Gruber Einl. zu Cic. de off. pag. 6. Sed et huius codicis lectionem, „*hominibus amice*,“ veram esse non posse quum ex eo pateat, quod proceleusmaticus cum bacchio vitiosa clausula est, qua Cicero praesertim ad talem recapitulationem concludendam certe non est usus, tum ex iis apparet praecedentibus praeceptis, quibus haec clausula respondet. Legimus enim cap. 25: „Omnino qui rei publicae praefuturi sunt duo Platonis praecepta teneant: unum, ut utilitatem civium sic tueantur, ut quaecumque agunt ad eam referant obliti commodorum suorum, alterum, ut *totum corpus rei publicae curent, ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant*. . . . Qui autem *parti civium consulunt, partem negligunt*, rem perniciosissimam in civitatem inducunt, seditionem atque discordiam: ex quo evenit ut alii populares, alii studiosi optimi cuiusque videantur, pauci *universorum*. Hinc apud Athenienses magnae discordiae

<sup>1)</sup> vid. Seyff. Lael. X, 35. pag. 241.



in nostra re publica non solum seditiones, sed etiam pestifera bella civilia: quae gravis et fortis civis et in re publica dignus principatu fugiet atque oderit tradetque se totum rei publicae neque opes aut potentiam consecrabitur *totamque* eam sic tuebitur, ut **omnibus** consulat. Nec vero criminibus falsis in odium aut invidiam *quemquam* vocabit.... Nec vero audiendi qui graviter *inimicis* irascendum putabunt.... In liberis vero populis et in iuris aequabilitate exercenda etiam est facilitas et altitudo animi quae dicitur, ne, si irascamur aut *intempestive accedentibus* aut *impudenter rogantibus*, in morositatem inutilem et odiosam incidamus... Cavendum est etiam ne maior poena quam culpa sit et ne isdem de causis *alii plectantur*, *alii ne appellentur quidem*." Ex his Ciceronis verbis recte colligitur, codicis Bern. c. lectionem veram illam quidem non esse, sed veram ex ea facile posse inveniri. Pro „hominibus“ manifestum est *omnibus* scribendum esse, quod etiam emendandi facilitate optime commendatur. Nam *homines* et *omnes*, *hominum* et *omnium*, *hominibus* et *omnibus* saepissime in mss. confusa inveniuntur. cf. in Cat. I, 12, 30, ubi contra ceterorum codicum auctoritatem, qui „malorum *hominum*“ praebent, editores ex cod. Rhenaug. „malorum *omnium*“ receperunt.<sup>1)</sup> — Lego igitur sic: Haec praescripta servantem licet magnifice, graviter animoseque vivere atque etiam simpliciter, fideliter, vere *omnibus* amice." De clausulae numero vid. Berger Stil. § 179, 1.

Ungerus quidem censet adverbium *vere* non cum *amice* coniungendum et post *vere* incidendum esse. „Der ganze Satz, inquit, bezieht sich zurück auf § 63: Itaque fortes et magnanimos eosdem bonos et simplices, *veritatis amicos* minimeque fallaces esse volumus.“ Tres sunt causae, cur non adsentiar: una est, quod illo inciso clausulae vis infringitur; altera, quod concinnitas tollitur orationis bimembris,<sup>2)</sup> cuius Cicero amantissimus est; tertia, quod verbis: „*veritatis amicos minimeque fallaces*“ huius loci vocabulum *fideliter* iam respondere videtur. cf. de fin. II, 14, 46: „Et quoniam eadem natura cupiditatem ingenuit homini veri videndi, quod facillime apparet, quum vacui curis etiam quid in coelo fiat scire avemus, his initiis inducti omnia *vera diligimus*, id est **fidelia**, *simplicia*,

1) Vid. de frequenti illarum vocum confusione Heusing. ad off. III, 12, 7; III, 17, 4; Kritz. ad Sall. b. J. LXXIV, 1. pag. 390; Drakenb. ad Liv. XXVII, 9, 14; Walther. ad Tac. de oratt. 8. pag. 250 s.

2) Vid. Naegelsb. Stil. § 173.

*constantia, tum vana, falsa, fallentia odimus, ut fraudem, periurium, malitiam, iniuriam.*"

I, 33, 119. „Nam quum in omnibus, quae aguntur, ex eo, quomodo quisque natus est, ut supra dictum est, quid deceat exquirimus, tum in tota vita constituenda multo est *rei* cura maior adhibenda, ut constare in perpetuitate vitae possimus nobismet ipsis nec in ullo officio claudicare.“

Hoc in loco Bern. c et Palat. ante *rei* „eius“ habent, Bern. a pro *rei* „ei.“ Sed retinenda omnino est lectio codicum Bern. b, Ambros., Bamb. 1, Herbip., Erf. et veterum edd. Hahnii (Romae 1468 v. 69?), Pannartzii (Romae 1469), Erasmi, in quibus omnibus simpliciter *rei* legitur. Illi librarii videntur putasse, id quod etiam Heinio accidit, ex illa vocula pendere sequentem particulam *ut*, sed finalis est particula et ex tota sententia pendet. cf. 31, 114: „Sin aliquando necessitas nos ad ea detruserit, quae nostri ingenii non erunt, omnis adhibenda erit cura, meditatio, diligentia, ut ea si non decore, at quam minime indecore facere possimus.“ Cicero, ut iam Jac. Fr. Heusingerus intellexit, qui tamen e Graev. cod. *ei rei* recepit, dicere volebat: Nam quum in omnibus, quae aguntur, *ex eo quomodo quisque natus est*, ut supra dictum est, *quid deceat exquirimus*, tum in tota vita constituenda multo est *exquirendo, quid deceat ex eo, quomodo quisque natus est*, cura maior adhibenda, ut etc. Sed ne idem isdem verbis iteraret, pro „exquirendo quid etc.“ simpliciter *rei* scripsit, quae vocula saepissime pro neutro pronominis demonstrativi usurpatur.<sup>1)</sup> Codicis igitur Bern. a lectio nihil aliud esse videtur nisi alicuius librarii vocabuli *rei* explicatio. — De *nec* pro *neve* vid. Madv. Gr. Lat. § 469. not.; Ferd. Schultz Gr. Lat. § 348, 3; Zumpt. Gr. Lat. 535, 2.

I, 33, 121. „Optima autem hereditas a patribus traditur liberis omnique patrimonio praestantior gloria virtutis rerumque gestarum, cui dedecori esse nefas et *impium* iudicandum est.“

<sup>1)</sup> Vid. Seyff. Lael. VIII, 27. pag. 184; XVIII, 64. pag. 401; cf. V, 20. pag. 116; XI, 38, pag. 257; Zumpt. Gr. Lat. § 678. — Sanct. Min. l. IV c. XV i. v.: „*res, negotium*, et apud Graecos, *χρῆμα, πρῶγμα*, sunt nomina, quae Dialectici vocant *transcendentia*, quibus omnia subjiuntur: sed tamen significati variatio ex adjunctis dependet.“

Contra ceterorum codicum auctoritatem interpretes ex Palat. pro „vitio“ *impiū* receperunt. *Vitium* quidem a Cicerone scriptum esse non potest, sed *impiū* dubito num cum *nefas* tam arte potuerit coniungi, quod quamquam saepissime quidem adiectivi locum tenere videtur, tamen semper substantivum est. Equidem puto *flagitium* scribendum esse, quod in *vitium* corruptum, ab aliquo librario, qui ineptum hoc esse sentiret, perperam in *impiū* mutatum esse videtur. *Nefas et flagitium* est quod nos dicimus Sünd' und Schande.<sup>1)</sup> Fortasse Ciceroni, quum scriberet, occurrit Plauti<sup>2)</sup> Trin. III, 2, 16—18 (ed. Ritschl):

'Itan tandem hanc maiōres famam trādiderunt tibi tui,  
'Ut uirtute eorum anteparta pér *flagitium* pérderes,  
'Atque honori pósterorum tuorum ut tu obex fieres?

*Nefas et flagitium* ibid. v. 21 verbis: *culpa maxima et desidia stultisque moribus* significatur. cf. Plat. Menex. pag. 247 B: εἶναι μὲν γὰρ τιμᾶς γονέων ἐκγόνοις καλῶς θησαυρὸς καὶ μεγαλπρεπής. χρῆσθαι δὲ καὶ χρημάτων καὶ τιμῶν θησαυρῶ, καὶ μὴ τοῖς ἐκγόνοις παραδιδόναι, αἰσχρὸν καὶ ἀνανδρον, ἀπορία ἰδίων αὐτοῦ χρημάτων τε καὶ εὐδοξίων.

II, 8, 27. „Secutus est qui in causa impia, victoria etiam foedior non singulorum civium bona publicaret, sed universas provincias regionesque uno calamitatis iure comprehenderet.“

*Calamitatis iure* Heinius cum Ald. Manutio, Jo. Frid. Gronovio et Graevio calamitatis statu, condicione interpretatur. Melius iam Degenius: „*ius* ist hier so viel als *conditio*, *Zustand*, in so fern dieser auf allgemeinen Gesetzen beruht.“ Jac. Fr. Heusingerus, quem Beierus, Zumptius et Ungerus sequuntur: „respexisse, inquit, Ciceronem crediderim ad id, quod victor iura dare victis dicitur. Caesar igitur *universas provincias regionesque uno calamitatis iure comprehendit*, i. e. victor hanc eis conditionem tulit, legem hanc eas accipere coëgit, ut una omnes pariter essent calamitosae. Nec mirum videri debet *ius* appellari, quod multis calamitatem afferat. Namque est etiam *ius iniustum*.“ Optime interpretatus est Naegelsbachius:<sup>3)</sup> „Wenn Caesar b. c. 3, 97, 1 schreibt: Pompejani, quod is mons erat sine aqua, diffisi ei loco, relicto monte, universi juris ejus Larissam

<sup>1)</sup> cf. Schell. praec. styli bene Lat. pag. 71.

<sup>2)</sup> cf. I, 29, 104; 38, 137.

<sup>3)</sup> Lat. Stil. pag. 38.



versus se recipere coeperunt, so hat er unter jus die Kategorie gemeint, in welcher sich dasselbe staatsrechtliche Princip darstellt; wir aber werden in der Uebersetzung doch nur sagen: Alles, was zur *Partei* des Pompejus gehörte, wofür genus stehen könnte, wie wir auch bei Cic. off. 2, 8, 8 in „universas provincias regionesque uno calamitatis jure comprehendit“ ein *allerdings mit herber Ironie individualisirtes* <sup>1]</sup> genere erkennen. Wenn wir daher den Satz haben: unter Napoleons Tyrannei war in Deutschland die *Art* der Knechtschaft überall dieselbe, so werden wir mit derselben *ironischen Bedeutsamkeit* sagen können: Napoleone dominante universa Germania eodem servitutis jure continebatur.“

III, 4, 19. „Vicit ergo utilitas honestatem? Immo vero honestas utilitatem secuta est.“

Hanc lectionem plurimi codicum et optimi tuentur. Ungerus, quem Heinius sequitur, legere vult: „Immo vero honestas utilitatem: et utilitas honestatem secuta est;“ Halmius: „Immo vero honestas utilitatem: honestatem utilitas secuta est.“ At ne honestas quidem utilitatem vicit. Nam quod vere utile est, idem est honestum, et quod honestum, idem utile. cf. III, 8, 35: „Quod si nihil est tam contra naturam quam turpitudine — recta et convenientia et constantia natura desiderat aspernaturque contraria — nihilque tam secundum naturam quam utilitas, certe in eadem re utilitas et turpitudine esse non potest. Itemque, si ad honestatem nati sumus eaque aut sola expetenda est, ut Zenoni visum est, aut certe omni pondere gravior habenda quam reliqua omnia, quod Aristoteli placet, necesse est, quod honestum sit, id esse aut solum aut summum bonum, quod autem bonum, id certe utile, ita, *quidquid honestum, id utile*“<sup>2)</sup>, et III, 28, 101: „Pervertunt homines ea, quae sunt fundamenta naturae, quum utilitatem ab honestate seiungunt.“ Aliter res sese habet III, 30, 109: „Hic ea, quae videbatur utilitas plus valuit quam honestas, apud superiores utilitatis *species falsa* ab honestatis auctoritate superata est.“

Jure igitur Lundius<sup>3)</sup> nihil mutandum esse censet. „Haec<sup>4)</sup> est, inquit, omnium codicum scriptura eaque, ut mihi quidem videtur, verissima, ita ut minime

<sup>1]</sup> „venuste simul atque acerbe.“ J. Gruter a. l.

<sup>2)</sup> cf. de fin. III, 21, 71.

<sup>3)</sup> De emend. Cic. libr. de off. pag. 39 s.

<sup>4)</sup> „Immo vero honestas utilitatem secuta est.“

opus sit emendatione Mureti,<sup>1)</sup> quae iam tria prope saecula omnes editiones obtinet. Sed res salva est: *secuta est* significat: comitata est, ut una et simul adessent. Stürenburgius mecum sentit, nisi quod non *secuta*, sed *consecuta est* scripsit dicens, illud perversum esse, quod honestas non *secuta* sit utilitatem, sed uno eodemque tempore honestas atque utilitas parta sit. At primum eo falsus est, quod *secuta est* alieno sensu sumpsit; deinde locus Laelii, qui est § 51: non igitur utilitatem amicitia, sed utilitas amicitiam *consecuta est*, evertit eius interpretationem („erreichen“).“ Lundius rectissime ille quidem, ut dixi, nihil mutandum esse censet, sed contra interpretationem eius valet quod Heinius dicit: Die Hdss. haben honestas utilitatem *secuta est*, d. h. entweder die Ehrbarkeit *begleitete* den Nutzen, oder sie war die Folge des Nutzens, immer aber würde damit ein Bedingtsein, eine Abhängigkeit der Tugend vom Nutzen ausgesprochen, also der Gegensatz falsch sein.“ In eo quidem etiam Heinius magno opere erravit, quod interpretandi non admisit rationem tertiam. Est enim talis, quae omnem difficultatem tollat.

Cicero in iis, quae praecedunt, aliquando ait dubitationem accidere, num honestum quid sit necne; quod si fiat, consideratione opus esse. Ex uno deinde exemplo ostendit, tempore saepe fieri, ut quod turpe plerumque haberi soleat, inveniatur non esse turpe: id enim, quod plerumque turpe sit, tempore *vere* utile fieri posse,<sup>2)</sup> quod si *vere* utile esse appareat, etiam honestum esse intelligi. Neque tamen ob eam rem iudicandum esse, utilitate honestatem victam esse, vel, ut Heini verbis utar, honestatem ex utilitate pendere, quia non re, sed in *nostra solum cognitione* utilitas antegrediatur, *honestas sequatur*. Simillimus est locus I, 27, 93 s.: „Huius [decori] vis ea est, ut ab honestate non queat separari. Nam et quod decet honestum est et quod honestum est decet. Qualis autem differentia sit honesti et decori, facilius intelligi quam explanari potest. Quidquid est enim quod deceat, *id tum apparet, quum antegressa est honestas*.“ Itaque utile non per se nos movet ad eligendum, sed quia quod *vere* utile sit, idem honestum esse scimus. Rectissime igitur Cicero III, 10, 40: „Itaque utilitas valuit propter honestatem, sine qua ne utilitas quidem esse potuisset.“

III, 18, 74. „Sed quum Basilus M. Satrium sororis filium nomen suum ferre voluisset eumque fecisset heredem — hunc dico patronum agri Piceni et

<sup>1)</sup> VV. LL. lib. XV cap. IX.

<sup>2)</sup> cf. III, 6, 32.

Sabini, o turpem notam temporum *nomen* illorum!\*) — num erat aequum principes cives rem habere, ad Satrium nihil praeter nomen pervenire?“

\*) *o turpem notam temporum nomen illorum.* codd. Herbip., Bern. a., Gu. pr. et sec., Duisburg. — *o turpem notam temporum et nomen illorum vel notam et nomen temporum illorum.* quidam oxon. — *o turpe notam temporum nomen illorum.* Bern. b. — *o turpe notam temporum illorum.* Bamb. 1. — *o turpe nomen illorum temporum.* Bern. c.

Editores quia *nomine* quid facerent nesciebant, codicem Bamb. plerique secuti sunt, *turpe* tantum in *turpem* mutant. Sed tum debebant, ut Ungerus recte vidit, cum Victorio, cui Lundius adsentitur, etiam *illorum* omittere. „Omittendum erat *illorum*, inquit Lundius;<sup>1)</sup> neque enim de nota temporum illorum, de horum, nostrorum temporum indignitate agitur.“<sup>2)</sup> At vero quum ceteri codices omnes miro consensu et *nomen* et *illorum* habeant, haec vocabula secludere audacius est quam ut possit comprobari. Nam in textum quomodo explicare velis ea irrepisse non intelligo, nisi forte satis hoc explicatum esse putas ab Jac. Fr. Heusingero: „Unde hic error natus sit, ex eo suspicari licet, quod Gu. pr. idem vocabulum [*nomen*] sub finem periodi omisit“ vel ab Heinio: „*nomen illorum* ist Rand-erklärung eines Lesers, der nicht verstand, dass der Ausruf auf das vorhergehende patronum agri Piceni sich bezieht.“

Verior lectio eorum codicum est, qui „o turpem notam temporum nomen illorum“ praebent. Sed tamen verba ut sunt, sine sententia sunt. Namque Ungerus explicatio: „Der Name des Oheims und Neffen, *Basilus*, ist für Cicero ein Zeichen der Zeit, in welcher den Römern ein βασιλεύς erstand“ ab Heinio recte improbat. Locum corruptum esse manifestum est; sed iam invenisse mihi videor, quomodo facillima emendatione possit sanari. Pro *nomen illorum* legas *hominum illorum*, iam omnia plana erunt et apta. Sententia est: o schmachvolles Zeichen der (misslichen) Lage jener Leute (Picentium et Sabinorum, qui cives Romani quum essent, tamen patronum sibi et Satrium patronum coacti essent eligere)! cf. Philipp. II, 41, 107: „Quid ego illas istius [Antonii] minas contumeliasque commemorem, quibus invectus est in Sidicinos, vexavit Puteolanos, quod C. Cassium et Brutos patronos adop-

<sup>1)</sup> l. l. pag. 22.

<sup>2)</sup> Idem fere Heinio a. l.



tassent? Magno quidem studio, iudicio, benevolentia, caritate, non, ut te *Basilum*, vi et armis, et alios vestri similes, quos clientes nemo habere velit, non modo eorum cliens esse.“

I, 29, 104. „Alter est, si tempore fit, *remisso animo homine* dignus, alter ne libero quidem, si rerum turpitudini adhibetur verborum obscenitas.“

Ex eo, quod codices et veteres edd. in verbis *remisso animo homine* omnes fere consentiunt, in particulis ante *remisso* positis (*et si, ut si, ac, aut*) quam maxime fluctuant, elucere videtur, has particulas, si bona sine illis efficiatur sententia, ut irrepticias reiciendas esse. Nam saepe talis lectionum variatio interpolationis quam dicunt certissimum signum est. Hottingerus quidem Heusingerorum auctoritate ductus etiam *animo* eiecit, quod tamen non probo. Optime res se habet, si *remisso animo* ablativus qualitatis esse potest ad *homine*: *remisso animo* homo = ein Mann von heiterer Gemüthsart.<sup>1)</sup> Totius sententiae contextui non facile quidquam inveneris, quod convenientius sit. cf. 30, 108: „Erat in L. Crasso, in L. Philippo multus lepos, magis etiam magisque de industria in C. Caesare, L. F.: at iisdem temporibus in M. Scauro et in M. Druso adolescente singularis severitas, in C. Laelio multa hilaritas, in eius familiari Scipione ambitio maior, vita tristior. De Graecis autem dulcem et facetum festivique sermonis atque in omni oratione simulatorem, quem εἰρωνία Graeci nominarunt, Socratem accepimus: contra Pythagoram et Periclem summam auctoritatem consecutos sine ulla hilaritate.“

<sup>1)</sup> Vid. Hotting. tom. 2 pag. 135 s.: „Remissus bedeutet nicht nur den, welcher sich im *Zustande der Erholung* befindet, sondern auch einen Mann von *frohmutbigem, aufgewecktem Charakter*. So sagt Cicero pro Coelio VIII. Cum *tristibus* severe, cum *remissis* jucunde vivere. So sagt Seneca Ep. XI. Elige Catonem: si hic tibi videtur nimis *rigidus*, elige *remissioris* animi virum, Laelium. — Liber bedeutet nicht nur einen *freygebohrnen*, sondern auch einen Menschen, der seiner Zunge freyen Lauf lässt und es mit der Regel des Wohlstandes oder der Sittlichkeit nicht immer allzu genau nimmt, ohne deswegen in die Klasse unmoralischer und schlecht denkender Leute zu gehören. . . . Man nehme in unserer Stelle beyde Worte in dieser Bedeutung, so wird man einen passenden Gegensatz haben, der einen durchaus befriedigenden Sinn giebt.“

et 31, 110: „Admodum autem *tenenda sunt sua cuique non vitiosa, sed tamen propria*, quo facilius decorum illud, quod quaerimus, retineatur.“ Ita *remisso animo homo* opponitur *homini libero* et maxima est totius sententiae concinnitas. Sed fateor ablativi qualitatis ad ablativum positi me nullum meminisse exemplum.

Librarii illas particulas adscripsisse videntur, quod ad § 103<sup>1)</sup> respicientes putabant, „remisso animo“ verborum „si tempore fit“ continere explicationem. At haec verba explicationis non indigent, quum Cicero minime posset existimare, eum, qui legeret, oblitum iam esse id, quod paulo ante dictum esset. — Varia lectio „ut sit remisso animo“ ex eadem orta erroris opinione nihil aliud esse videtur nisi vitii vitiosa emendatio.

<sup>1)</sup> „Ludo autem et ioco uti illo quidem licet, sed sicut somno et quietibus ceteris tum, quum gravibus seriisque rebus satis fecerimus.“

